

Heinrich Rahn Adam Heinrich Oeseden von

Disputatio Iuridica De Testamentis

Rostochi[i]: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766620999>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA
DE
TESTAMENTIS,

Quam
Auxiliante S. S. Triade,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi & Consultissimi

DN. HENRICI RAHNEN,

J. U. D. P. P. Ducalis Consistorii Assessoris,

DN. Præceptoris, Fautoris ac Promotoris
fui honorandi.

Publicè defendendam suscipiet


ADAMUS HENRICUS AB ÖSEDEN,
A. & R.

Die 4. Mart. in Auditorio Majori,



ROSTOCHI,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LIV.



V I R O


AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,
AC PRUDENTISSIMO

DN. ARNOLDO

Böttchern/

J. U. D. Consuli ac Syndico
Reipubl. WISMARIENSIS dignissimo,
Avo suo ac Mecœnati omni observan-
tiæ cultu prosequendo.


*Primum hocce Exercitium Academicum
obsequioso animo consecras
& offers*



ADAMUS HENRICUS
ab Öseden, Gustr. Meck.
Author & Respond.

I. N. D. N. J. C. A.

I.



Ntequam ad utilissimam & frequen-
tissimam hanc, de TESTAMENTIS, mat-
riam, Divini numinis auxilio, pro ingenii tenui-
tate, pertractandam venio, excutienda erit quæ-
stio I. Cujus juris sit Testamenti factio. Sal-
va aliorum sententia nos cum *Rittershusio ad*
princ. Inst. de testam. ord. & Forst. Disp. ad Inst.

12. th. 3. Juris Civilis esse statuimus, quâ scil. talis hodie est.

II.

Testamentum autem ex eo appellatur, quod testatio mentis sit
princ. Inst. de test ord. & definitur à Modestino, quod sit voluntatis nostræ
juxta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit *l. 1. ff. qui*
test. fac. poss.

III.

An verò hæc dicta definitio perfecta sit disceptant Interpretes, ut
videre est apud *Duar. ad tit. ff. qui test. fac. poss. c. 2.* & alios. Nos ge-
neralem & perfectam esse putamus, quia omni testamento competit
tam publico quam privato, tam solemnni quam non solemnni, tam scri-
pto quam nuncupativo. Perfecta est, quia constat omnibus bonæ de-
finitionis partibus, videatur *Myns. ad princ. Inst. d. 1. & Ritterhus. ad*
idem princ.

IV.

Progredimur ad Divisionem. Duo olim fuerunt genera, altero
in pace & otio usi fuerunt, quod Calatis comitiis appellatum est, altero
cum in prælium exituri essent, quod Procinctum dicebatur. Accessit de-
inde tertium genus quod dicebatur per æs & libram *§. 1. Inst. de test. ord.*
Sed quia hæc testamentorum genera in usu esse desierunt, de illis non
sumus magnopere solliciti, sed dicimus Testamentum esse, vel solemnne
vel minus solemnne, Utrumque est vel scriptum, vel nuncupativum.

A 2

Se-

V.

Solemne scriptum Testamentum est, quando testator observatis debitis solemnitatibus juris ultimam voluntatis suæ dispositionem in scripturam primum redigit testibusq; deinde offert corroborandum. *Mysf. ad §. 3. Inst. de test. ord.* Solemnitates autem tradit. *d. §. Inst. & l. Hac consult. 21. in princ. C. de testam. & nos infra.*

VI.

Nuncupativum est, quando Testator Voluntatis ultimæ sententiam coram septem testibus, ad id rogatis *l. heredes. 21. §. in testamentis. ff. qui test. fac. poss.* articulata voce, ut ab omnibus exaudiri possit, nuncupat & declarat. *§. fin. inst. de Test. ord.*

VII.

Cæterum in omnibus Testamentis videndum est, an is, qui testamentum fecerit, habuerit testamenti factionem, deinde si habuerit, requeremus, an secundum regulas Juris Civilis testatus sit *l. 4. ff. qui test. fac. poss.*

VIII.

Testamenti factio alia est activa, eorum qui testamentum faciunt, alia Passiva, eorum qui ex testamento capiunt *§. 4. Inst. de hered. qual. & diff. & Pacius in Analyfi Inst. ad §. 6. l. de test. ord. l. 16. princ. ff. Qui testam. fac. poss.*

IX.

Testamenti factionem Activam omnes habent, qui legibus non prohibentur, non enim omnibus licet facere testamentum *princ. Inst. quibus non est permis. fac. test.*

X.

Prohibentur verò quidam testari Natura, quidam Lege: Natura prohibentur aut ob defectum animi, aut corporis.

XI.

Ob defectum animi testari prohibentur I. Infantes & Impuberes, quia nullum eorum animi judicium est *§. 1. Inst. quibus non est permis. fac. test. l. 5. & 19. ff. qui testam. fac. poss.* nisi forte ultimo die anni 14. testamentum fecerint. *d. l. 5.*

XII.

II. Furiosus, in illo autem adhibenda est distinctio: Aut enim furor est perpetuus, aut habet intervalla seu remissionem atq; inducias.

illo

51
Illo laborans nunquam, quia mente tunc caret §. 1. *Inst. quibus non est perm. fac. test.* Hoc per intervalla testamentum facere potest l. 9. *C. qui test. fac. poss.* Testamentum verò ante furorem factum furore superveniente non infirmatur §. 1. *Inst. d. 1. l. ult. ff. de injusto test. Myns. ad d. §. 1. Inst. item Ritterhus. ad eandem. item Schneidv. ibid. num. 7.* In eo enim, qui testatur, ejus temporis, quo testamentum fecerit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est l. 2. *ff. qui test. fac. poss.*

XIII.

III. Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est §. 2. *Inst. quibus non est perm. fac. test.* & propter rationem l. 40. *ff. de R. J.* qui, nec tempus nec finem expensarum habens, furiosum facit, quod ad bona attinet, exitum, & ideo furioso comparatur l. *his qui. 12. §. fin. ff. de tut. & cur. dat. & §. 4. Inst. de Cur.* Quod verò ante fecerit, quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est, §. 2. *Inst. quibus non est perm. fac. test.*

XIV.

Ob defectum corporis testari prohibentur Surdi & muti ita natura nati §. 3. *Inst. quibus non est perm. fac. test. l. 6. §. ult. l. 7. ff. qui test. fac. poss. l. 10. C. eodem.* Qui autem ex casu aliquo, sive ex accidenti surdi & muti sunt, si literas pingere possunt, sua manu testamentum facere possunt, idque valet l. 10. *vers. Ubi autem. C. qui testam. fac. potest.* Tum qui surdus tantum est articulataque voce loqui potest, is testamenti factionem habet, etiam si literarum sit imperitus d. l. 10. *vers. si n. vox.* Qui mutus tantum est, si scribere novit, recte in scriptis testabitur l. 10. *vers. si vero aures. Myns. ad §. 3. Inst. quibus non est permis. fac. test. item Ritterh. ad eand.* Excipitur miles §. 2. *Inst. de test. milit.* in quo tamen vix erat, exceptio post d. l. 10. *C. de Testam.* Si autem post testamentum factum adversa valetudine aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cæperit, ratum nihilominus manet ejus testamentum §. 3. *in fin. Inst. quibus non est permis. fac. test.*

XV.

Cæci quoque testamentum facere prohibentur §. 4. *Inst. d. 1. quod tamen non ita intelligendum, ac si plane Cæci non possint testari, sed quod non ita ut cæteri, qui nullo vitio impediuntur, testari possint: Exrat enim peculiaris constitutio de cæci testamento l. hac consultißima §. C. qui test. fac. poss.*

A 3

Lege

XVI.

Lege prohibentur testari, aut ratione potestatis, aut pœnæ. Potestatis aut Patriæ aut Dominicæ.

XVII.

Ratione Patriæ potestatis prohibetur testari Filius familias *princ. Inst. quibus non est perm. fac. test.* quia nihil in bonis olim habebant & quicquid acquirebant, Patri acquirebant, *princ. Inst. per quas pers. cuique acquir.* tum quia testamentum filii pendere videtur ex arbitrio alieno *id est, Patris, cum jura testamentorum per se firma esse oporteat l. 32. in princ. ff. de hered. inst. Ritterb. ad princ. Inst. quibus non est perm. fac. test. Myns. eod. loco*, nec potest facere testamentum quamvis parens ei permiserit. *d princ. Inst. & l. 6. ff. qui test. fac. poss.* nec Legare nec Codicillos facere *l. 6. §. 3. ff. de jure Codic. l. 8. §. 2. eod.* Excipitur filius familias Castrense, vel quasi Castrense habens peculium *princ. Inst. Quibus non est permis. fac. test.* Hinc oritur ardua quæstio, An filius familias etiam de bonis, ut adventitiis quibusdam, quæ ad ipsum pleno jure pertinent, testari possit? Negamus cum *Viglio & Schneidvv. Pacio in Anal. Inst. Forst. disp. 12 thes. 13. Ritterb. ad princ. Inst. quibus non est perm. fac. test. Myns. ad d. princ. Bacch in notis ad Treutler. Volum. 2. disp. 10. thes. 2. lit. C. vers. in quibus.*

XVIII.

Ratione dominicæ potestatis nullam habent testamenti factionem I. Servi *l. 16. ff. qui test. fac. poss.* 1. enim in jure pro nullis & pro mortuis habentur *l. 32. ff. de R. J. & l. 209. d. t.* 2. Testamenti factio Civibus Romanis competit, 3. Nihil habent in bonis: quicquid enim acquirunt, acquirunt Domino *princ. Inst. per quas pers. cuique acquir.*

XIX.

II Capti ab hoste, testamentum facere non possunt eo tempore, quo in captivitate tenentur *§ ult. Inst. quibus non est perm. fac. test. l. 8. ff. qui test. fac. poss.* quia servi fiunt hostis, *§. 5. Inst. quibus mod. jus pat. pot. sol.* & cum libertate omnia bona amittunt. Si vero testamentum ante fecerint, quam capiebantur ab hoste, valet fictione juris: aut enim redierit & valet jure postliminii aut illic decesserit valet ex *L. Cornelia d. §. fin. Inst.*

XX.

Obsides quoque, qui ad fidem servandam dantur (tamen si veri servi non

51
non sunt, his tamen qui apud hostes capti retinentur, non sunt absum-
les) testari non possunt, nisi eis expresso beneficio Principis id permit-
tatur *l. ii. Qui test. fac. Myns. §. ult. Inst. quib. non est perm. fac. test.*

XXI.

Ratione pœnæ prohibentur primo. ad mortem damnati *l. 8. §. 1. ff. Qui test. fac. post. 2* Deportati, his annumerantur Banniti ab Impe-
rio & Camera Imperiali *Gail. 2. de pac. pub. cap. 12. num. 5. 3. Hæretici. l. 4. C. de hæret. C. 10. Extr. Eod. Myns. ad §. ult. Inst. quib. non est perm. fac. test.*

XXII.

Intestabilis quoque est ille, qui de statu suo dubitat aut errat *l. 14. ff. qui test. fac. post.* Ratio est, quia qui incertus de statu suo est (*i. e. sit ne-
servus an liber, Pater familias & sui juris, an filius familias*) certam legem
testamento dicere non potest *d. l. 14. Ritterh. ad §. ult. Inst. quibus non est
perm. fac. test.* Pleniorum Catalogum horum qui prohibentur testari
invenies apud citatum *Ritterh. eodem loco.*

XXIII.

Si quis jam ex his enumeratis testamentum fecerit ipso jure non
valet & inutile manet, etiamsi postea facultatem testamentum condi-
di habuerit *l. 19. ff. qui test. fac. pot.* Si autem quis, qui testamentum
condendi facultatem habuit, post factum testamentum amittit, nihilo-
minus valebit testamentum *§. 1. & 2. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 6.
§. 1. l. 18. princ. ff. d. 1.*

XXIV.

Progredimur ad formam seu modum testandi, qui consistit
in regulis juris Civilis, secundum quas debent testamenta condi *l. 4. ff.
d. t. Vocatur alias solemnitates & requisita, & est alia publica, alia privata.*

XXV.

Publica est, cum fit coram Principe, aut apud acta, & tunc neque te-
stes nec alia solemnitas desideratur. *l. omnium. 19. C. de test.*

XXVI.

Privata testamentorum solemnitas requirit I. Testium adhibitio-
nem, sine testibus enim testamentum fieri nequit, neque firmum censetur.

XXVII.

Testes autem septem adhibentur in testamentis, qui debent esse
præsentes, non vero fortuiti, sed ad id rogati *l. 21. §. 2. ff. Qui testam. fac.
pot. l. 21. princ. C. de testam. Auth. Rogati C. d. testibus.* An vero hic nu-

merus

merus septenarius tempore pestis remittatur? quæritur. Affirm. cum
Forst. disp. 12. th. 5. Sunt etiam plures casus, in quibus non est necessarius
septenarius numerus, sed sufficiunt pauciores, quos brevitatis causa o-
mittimus, inveniuntur autem apud *Vvesemb. π. ff. t. qui test. fac. pot. n. 10.*

XXVIII.

Omnes autem testes adhiberi possunt, cum quibus testamenti fa-
ctio est §. 6. *Inst. d. test. ord. h. e.* qui possunt hæredes institui, *Pacius in*
Anal. Inst. §. 6. d. t.

XXIX.

Multi tamen excipiuntur qui non possunt esse testes in testamen-
to, licet possint hæredes institui, ut 1. mulier §. 6. *Inst. de test. ord.*
Schneidvv. ait mulieres non posse testes esse propter fragilitatem & in-
constantiam sexus *ad h. §. Inst. h. t. num. 3.*

XXX.

Testis tamen mulier potest in testamentis minus solemnibus esse
ut in testamento militari, inter liberos, ad pias causas & in testamento
Pontificio & in donatione causa mortis & codicillis *Myns. ad §. 6. Inst.*
d. test. ord. n. 5. Schneidvv. d. loc. n. 3.

XXXI

II. Impubes §. 6. *Inst. d. test. ord. & l. 20. princ. ff. qui test. fac. poss.* qui
minor 14. annis *Schneidvv. ad §. h.* neque id mirum est, nam propter infir-
mum animi iudicium & lubricum consilium pupillus nec in ullo alio
negotio testis esse potest. *l. 3. §. 5. ff. & l. 19. §. 1. ff. de testib. Ritterh. ad §. 6. h. t.*

XXXII.

III. Servus d. §. Quia testamenta sunt juris Civilis, cujus servi capa-
ces non sunt, cum hoc jure pro mortuis & nullis habeantur *l. 32. l. 209. ff.*
d. R. 7. Est & alia ratio, quia non habent jus annulorum, *Ritterh. ad §. 6.*
Inst. d. test. ord. An adscriptitii & proprii homines & Monachi, qui spe-
ciem servitutis præ se ferunt, testes adhiberi possint, quærit & affirmat
Myns. ad d. §. & Bacch. ad Treutl. disp. de test. th. 4. lit. I. at tamen in *Ordnung der Notarien* de anno 1512, sub tit. von Testamenten §. die Form/
proprii homines testes in testamento habiles non sunt, ibi auch der
Leibeigenschaft freye.

XXXIII.

IV. Furiosus §. 6. *Inst. d. test. ord.* pro absente n. & dormiente haberi
solet. Si tamen inducias & intermissionem sive dilucida intervalla
furoris habeat, eo tempore testis adhiberi potest *l. 20. §. 4. ff. qui test. fac.*
poss. Rittersh. ad §. 6. Inst. de test. ord.

V. Mutus

XXXIV.

V. Mutus & Surdus d. §. Mutus hic intelligitur, qui nihil eloqui potest, & Surdus, qui omnino non exaudit. Hi enim propterea non sunt idonei testes, quia verbis proferendis audiendisq; opus est in testamentis *Mynf. ad §. 6. Inst. de test. ord. num. 11.* Quæritur hic de Cæco an possit testis adhiberi? Affirmat *Ritterhus.* eodem loco cui assentimur.

XXXV.

VI. Prodigus, cui bonis interdictum est d. §. l. 18. princ. ff. qvitest. fac. poss. quia passim comparatur furiosis & testamenti factionem non habet. d. l. VII. Hæres quoq; quia ejus negotium geritur §. 10. *Inst. de test. ord.* in proprio autem negotio nemo est testis idoneus l. 10. ff. d. test. VIII. Qvæ est in potestate hæredis §. 9. *Inst. d. t. Vid. π. Vves. ff. d. t.*

XXXVI.

Prohibentur & illi, quos leges jubent improbos intestabilesq; esse §. 6. *Inst. d. t.* quales sunt damnati ob carmen famosum l. 18. §. 1. ff. h. t. Item publico judicio damnati l. 3. §. 5. ff. de test. ut adulterii l. 14. ff. d. t. & similes.

XXXVII.

II. Solemnitas testamentorum est, ut fiat uno contextu §. 3. *Inst. de test. ord.* i. e. Ut nullus alienus actus intermiscetur l. 21. §. ult. ff. qvitest. fac. poss. nisi forte ob necessitatem naturæ l. 28. C. de testam. Hinc quæritur an Contractus testamento celebrari possit? Verior est negantium sententia *Vid. Bacch. in notu ad Treutl. disp. de testam. thes. s. lit. H.*

XXXIIX.

III. Solemnitas exigitur, nimirum Subscriptio testium Debeant autem omnes uno eodemq; tempore & loco subscribere, nec unus testis pro alio scribere potest, sed quilibet uti proprio chirographo debet, nisi in tali loco fiat testamentum, ubi non inveniuntur tot literati, tum enim duo vel tres pro aliis literas ignorantibus subscribere non vetantur l. ult. C. de testam. *Mynf. ad §. 3. Inst. de test. ordin.*

XXXIX.

IV. Subsignare debent testes & quidem annulo §. 5. *Inst. h. t. l. 22. §. 5. Qvitest. fac. poss.* Hodie quovis signo ex *Const. Imper. lata Coloniae anno 1612. h. t.* Possunt omnes uno annulo uti d. §. 5. modo adscribant se alieno usum esse annulo, *Mynf. ad §. 5. Inst. de Test. Ordin.*

B

Nihil

XL.

Nihil autem interest, testamentum in qua materia, an in tabulis, an in chartis membranisque fiat, §. 12. *Inst. de Testam. ordin.* dummodo integris literis, non notis quibusdam scribatur *Nov. 107. c. 1.* Potest quoque testamentum pluribus codicibus confici ejusdem tamen exemplaris *d. §. 12. Inst. h. t.*

XLI.

Dictum est haec de Testamentis, quæ scriptis conficiuntur, sequitur testamentum Nuncupativum. Sic autem dicitur, quia in eo nulla scriptura opus est, sed per nuncupationem ista omnia, & viva testatoris voce ordinari possunt *Myns. ad §. ult. Inst. h. t.* Requisita autem omnia quæ in solemnibus testamento desiderantur, & in hoc nuncupativo intervenire debent, excepta sola subscriptione & designatione testium *Myns. d. loco.* Potest in scripturam redigi, nec ideo nuncupativum testamentum esse definit *Pacius in Analyfi Inst. §. ult. h. t.*

XLII.

Has dictas solemnitates Miles non tenetur observare, remissa enim illis, tam diligens observatio propter nimiam imperitiam illorum *princ. Inst. de test. Militis.* Milites autem intelliguntur ii, qui in expeditione occupati sunt *d. t. Inst.* qui vero militia missus est, communi omnium civium Romanorum jure id facere debet *§. 3. Inst. d. t. plura invenies in ff. h. t. & C. h. t.*

XLIII.

Testamentorum horum omnium basis ac fundamentum est Hæredis institutio. Testamenta enim vim ex institutione hæredis accipiunt *§. 34. Inst. d. Legat.* Possunt autem hæredes omnes institui, permissum enim est, tam liberos homines quam servos, tam proprios quam alienos instituere hæredes, *princ. Inst. de hæred. instit.* Et unum hominem & plures usque in infinitum, quot quis hæredes velit facere, licet *§. 4. d. t.* Instituuntur autem vel pure, vel sub conditione *§. 9. d. t.*

XLIV.

Testamentum jure factum usque eo valet donec rumpatur irritumve fiat *princ. Inst. quib. modis test. inf.* Jure factum dicitur, nam ut testamentum dicatur rumpi, irritumve fieri, plane necesse est, ut illud antea firmum, justum ac omnibus numeris fuerit absolutum, quia

51
quia quod non est, id utiq; rumpi non potest, cum non entis nullæ sint
qualitates, privatioq; habitum supponat *Myns. ad princ. Inst. quib. mod.
test. inf.*

XLV.

Fiunt autem irrita Testamenta, vel Volente Testatore, vel Testa-
tore invito.

XLVI.

Volente Testatore I. Rescissione, quando Testator testamen-
tum antea conditum rumpit & difsecat. II. Posteriori testamento, seu
mutatione, si testator post fecerit testamentum aliud, priori adversum
§. 2. *Inst. d. t.* Sola namq; voluntate quod testator fortè dicat, nolle
se testamentum suum valere, vel etiam prius testamentum mutare,
incipiat, sed non perficiat, prius testamentum minime rumpitur,
§. 7. *Inst. Quib. mod. test. infr.*

XLVII.

Invito Testatore I. Capitis deminutione §. 4. *Inst. d. t.* maxima
& media semper, & minima, sed non semper. Miles, qui de Castren-
sibus suis bonis testatus est, si se in arrogationem dederit, testamen-
tum ejus non fit irritum l. 22. & 23. ff. d. test. mil. II. Agnatione sui
hæredis vera, i. e. naturali, vel quasi, id est, Civili, scil. adoptione §. 1.
Inst. quib. mod. test. inf. III. Cum jure facto Testamento nemo extiterit
hæres: tunc enim omnis vis testamenti solvitur l. 181. ff. d. R. I. Et dici-
tur hoc casu destitutum. §. 7. *Inst. de hæred. quæ ab intest.*

XLVIII.

Evertitur aliàs Testamentum Officio Judicis per querelam in-
officiosi. Sæpissime enim fit, ut parentes liberos suos injuste exhære-
dent, quos instituere debebant. Ergo tale testamentum, tanquam
contra officium pietatis conditum, à liberis juste impugnatur, *prin. Inst.
de inoff. test.*

XLIX.

Sed non solum liberis verum etiam parentibus querela inofficiosi
§. 1. *Inst. h. t.* imo fratribus permissum est testamentum fratris inoffi-
ciosum accusare, si turpes personæ, hoc est, infamia notatæ, hæreses in-
stitutæ fuerint §. 1. *Inst. h. t. l. 21. & 27. C. de inoff. test.* Hæc bre-
viter de hac ampla Testamentorum materia, pro in-
genii tenuitate, dixisse sufficiant.

Testa-

Ad DN. RESPONDENTEM.

Testamenta ferunt hominum tibi carmina lau-
dum,

Ingeniique docent robur, Amice, tui.
Testamenta Dei serva: virtutibus artes
Miscere. Sic doctus, sic quoque salvus eris,
scrib.

PRÆSES.

DE Testamentis dum differis ore disertus,
Testamen mentis prodixit, Amice, tua.
Pergere nitaris, sic nobile Testamentum
Post mortem condet posthuma fama Tibi,

Sic cognato suo dilectiss.

l. m. q. gratulatur

ALBERTUS DOBBIN.

Si decus est Juveni claros habuisse Parentes,
Natalemque domum, quæ stirpe renidet amœnâ;
Non minor est, (si vera loquar?) quoque gloria, lectis
Artibus exornasse genus studiisque politis.
Hæc Tu, Vir Juvenis, magnâ cum Laude petisti,
Dum meritò sequeris vestigia docta Parentis,
Exemplumque tuæ profers in Luminis auras
Doctrinæ. Quod jam superest, bonitate perenni
Tu quod carpis iter, regat, & perducatur Jova.


Ita ex tempore L. M. Q. f.

LUDOVIGUS UTHERMARCK,
Hof. L. L. Stud.





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 quelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 , poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 u assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nent suum mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 ptam forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 ancubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4